

tur. ¶ Et si aliquis presumpserit violenter habere, videlicet tangendo vel tenendo vel eam amplexando vel laniando, componat comuni libr. centum par. nomine pene, et si non habuerit unde solvere, frustetur et buletur. ¶ Si vero aliquam mulierem
5 nuptam civem Tergestinam violenter cognoverit, co[n]ponat comuni nomine pene ducentas libr. par., et si non habuerit unde solvere, puniatur pena capitali, et si eam habere presumpsisset tangendo retinendo vel amplexando sive laniando, componat nomine pene comuni libr. centum, et si non ha-
10 buerit unde solvere, frustetur et buletur. ¶ Si vero aliquam viduam civem Tergestinam violenter habuerit sine eius consensu et voluntate, co[n]ponat comuni centum libr. par., et si non habuerit //unde solvere, buletur et frustetur, et nichilominus, si 144 A eam acciperet in uxorem, dictas centum libr. par. solvere teneatur. ¶ Et si eam haberet violenter, tangendo retinendo aut amplexando sive laniando, componat comuni quinquaginta libr. par., et si non habuerit unde solvere, frustetur ab una ianua civitatis usque ad aliam. ¶ Et quod de omnibus in presenti statuto contentis non credatur meretricibus. ¶ Item ordinamus
20 quod nulla probatio seu testificatio per aliquem contrafatientem in supradictis casibus in presenti statuto contentis possit introduci per aliquam personam, et si fuerit producta, per dominium minime audiatur, videlicet de illis qui¹⁾ probare vellent se illud fecisse cum voluntate et consensu mulieris.
25 ¶ Preterea statuimus quod, si quis teneret aliquam mulierem civem vel habitantem Tergesti in civitate Tergesti vel eius districtu, que esset nupta, contra voluntatem mariti sui, vel teneret aliquam aliam mulierem, que non esset meretrix, contra voluntatem patris et matris, vel illius sub cuius protectione
30 esset et staret, cadat ad penam centum libr. par., et nichilominus illam talem mulierem teneatur restituere marito patri vel matri ipsius, vel illi sub cuius protectione esset; et hoc non intelligatur de aliqua mercenaria forensi que staret vel statisset cum aliqua persona civitatis Tergesti. ¶ Et si quis
35 forensis subtraxerit et secum // malo modo conduxerit aliquam 144 B

¹⁾ Aggiunta sopra il rigo.